MONS MELIANUS EXPUGNATUS.

AT quò fugiſtis, Gallorum exſcindere gentem
Conjuratæ acies? Quò vana audacia ceſſit?
An vos longa fames, miſerique incommoda belli
Admovêre focis? nec jam hibernare pudebit
Telorum immemores, dum propugnacula veſtra,
Et veſtras LODOIX urbes victricibus armis
Invadit? Quid enim? bellantem frigora brumæ
Oppoſitæ moles, præruptaque ſaxa morentur?
Dum loquor, excelsâ ſe mons Melianus ab arce
Demittit; portas everſaque mœnia victor
Gallus habet. Tantum mendaci dedecus ore
Diſſimulare nefas: crebro nam fulmine latè
Perſonuêre Alpes: totis perterritus undis

ra concelebrat CATINATEM, & murmure præceps
Horrisono, properat Rhodanis exponere Nymphis
Tantorum laudes operum, majoraque famâ.
Horrescit memorans Gallum capita ardua montis
Prensantem, & forti spernentem pectore glandes
Mortiferas, lapidesque & quidquid desuper hostis
Immittit: sed adhuc rapidi torrentis in alveo
Attonitus, stupet ut Graïo dux major Achille,
Ipse sibi Nestor, casumque paratus ad omnem,
Emicat, illustresque gelu decorante capillos,
Claustra per & turres, per mille pericula, duram
Per cautem, ferro Vulcanique arte magistrâ
Rumpit iter, magnæque animæ benè prodigus instat;
Et tandem nimio victricis pondere dextræ
Urbs oppressa gemit: molesque operosa fatiscens
Corruit, atque implet magno vicina fragore.

Quæ nova succrescit CATINATIS tempora circum
Laurus, & egregium decorat per sæcula nomen!
Non tibi, Bellerophon, ferro domuisse Chimæram
Gloria tanta fuit: non tot se horrenda ferebat
Vulneribus; non tot furibundo vertice mortes
Illa intentabat, spargens circum undique flammas.

Quid vos interea malè nescia pectora laudis
Infestæ gentes? Non jam succurrere vestris

Fert animus? Toties morituro milite campos
Vos complesse piget. Quà se fortissimus infert,
Ense furit Gallus; sternit latè omnia circum.
Haud secùs Armenii per tota armenta leones
Dant stragem; aut stipulæ depascitur ignis acervos;
Leusiaci testantur agri, vallesque Sabaudæ,
Vestro multa rubens etiamnùm sanguine tellus.
Quæ tandem insanam ludit sententia mentem?
Nos vanis terrere minis? Afflare venenum?
Cuncta salutiferâ recreat Rex optimus aurâ;
Lætaque conatus deridet Gallia inanes.
Tot fluctus inter, tempestatesque sonoras
Principe tuta suo, visa est mihi pace potiri.
Quippe tenens clavum sedet ille in puppe quietus,
Et Syrtes scopulosque cavet, cursumque gubernat.
Quin & Francigenæ (laus uni debita genti)
Sponte fidem rectumque colunt; idem omnibus idem
Relligionis amor, statque omnibus una voluntas,
Non armis Regi, non re, non defore votis.
Ergo quid resides agitis? Quid inertia tentant
Pectora spemque metumque inter? Quin protinus hastas
Abjicitis miseri, & scelerata relinquitis arma?
Infaustâ bellatis avi: vastissima damna,
Ingentesque monent passim terrâ, æquore clades.

Si tamen illa placet, quæ vos tam digna ſecuta eſt
Hac fortuna tenùs; quò virtus tota receſſit,
Pergite ventoſâ Gallos evertere linguâ;
Pergite non domitas pactis dementibus urbes,
Partirique agros & non violabile regnum.
Auſpice LUDOICO, ſuperiſque faventibus, uſque
Et res, & noſtris accreſcet gloria rebus.

ALEXANDER DE PREPETIT DE GRAMMONT
Rhetor in Graſſinæo.

Ex Typographia FRANCISCI LE COINTE. 1692.
Cum Permiſſu.

Mc